VENETO

DOMINICI DE MARCHETTIS
PATAVINI.
ANATOMIA


DOMINICI DE MARCHETTIS
PATAVINI
ANATOMIA

PETRI
DE
MARCHETIS,

D. MARCI EQVITIS,

In Gymnaſio Patauino Anatom. & Chirurg.
Profeſſoris celeberrimi,

NOVA OBSERVATIO, ET CVRATIO
CHIRVRGICA,

In lucem edita
à

IACOBO MARTINI GERMANO, D.

PATAVII, Typis Io: Bap. Paſquati M.DC.LIV.

Ad Matthæum Cadorinum. *Superiorum permiſſu.*

Ampliſsimo, & Experientiſsimo

VIRO

D. D. PETRO DE MARCHETIS,

D. MARCI EQVITI,

Anatom. & Chirurg. Profeſſori celeberrimo,

Præceptori, & Fautori ſuo honorando

S. P.

ECce, Illuſtriſs.me EQVES, Tuum reddo Tibi, tuam à me obſeruatam obſeruationem tuo appendo Nomini. Vt enim fluuij non tardè in Oceanum, vnde defluxere, re-

fluunt: ita ſcire meum, qualecunque ſit, immenſę Tuæ in Chirurgia dexteritatis riuulus, in ſinum tuum, vtpote ſuum, raptim relabitur. Partum foueas, tuum quidem poſſeſsione, meum verò participatione, & patiaris, vt quas cumulas artis diuitias, quò alij diteſcant, tuus propalet diſcipulus:

Patau. vij. Febr. Anno à Chriſto nato M. DC. LIV.

Exc. Tuæ

Obſeruantiſs.

Iacobus Martini Germ. D.

AD CHIRVRGIAE STVDIOSVM.

OBſeruationem hanc fortaſsis ludificabis, φίλτατε, quia res non noua, quia Cura ſimplex. Nouum eſt, quicquid & tu et ego non amplius vidimus: Simplicitate gaudet Natura. Pluris habendus ille Medicus, qui linamentis ſiccis, linimento ſimplici, molli inunctione vulnera curat, quam qui profuſo, vano pluries, medicamentorum apparatu, prolapſam erigit ſanitatem. Ex hac obſeruatione ſi quid col-

legeris vtile, tibi reponas: ſin minus, ſinas fruantur alij. Apes ex herbis, non rarò fœtidis, prælibatam ſugunt dulcedinem. Spero tamen tuam humanitatem blando ſinu tenuem laborem excepturam. Sic vigilantius in poſterum pergam, quò tibi, et proximo in rebus altioris momenti inſeruire valeam. Vale.

I. N. I.

I. N. I.

PETRI DE MARCHETIS,

D. MARCI EQVITIS,

NOVA OBSERVATIO, ET CVRATIO CHIRVRGICA.

ILluſtriſsimi, & Excellentiſsimi D. D. OCTAVIANI MALIPETRI, Prætoris Patauini ſtabularius, Ioannes Facco, Vir carnoſi habitus, annos triginta natus, cum ix. Ianuarij, anni 1654. equo frænum imponeret, equus refractarius reſiliens, caputque detorquens, ea compreſſione inter dentes arripuit pollicem ſtabularij ſiniſtrum, vt eius detruncaret internodium tertium, ſequente *Obſeruationis Hiſtoria.*

vna

L. de cõli-tut. art. c. 6. & 4. m. med.

vnà integro tendine muſculi, quo internodium flectitur, ἀπόσπασμα Tendinis dixerim: & Galenus *Auulſa omnia* ἀποσπάσματα nominat.

Curatio.

Aduocatur Illuſtriſſimus, & Ampliſs. PETRVS DE MARCHETIS, Chirurgicis in operibus, vt notus, ita celeberrimus, qui primo apparatu ſanguinem repreſſit ſtuppis, oui albumine imbutis, docente Auicenna, *Omnia vulnera communicare in retentione ſanguinis currentis.*

L. 4. f. 4. t. 1. c. 3. de cura vulnerum.

Poſt ſtupparum appoſitionem, molliter partem affectam vinciuit, nè ſtrictiori ligatura dolor, mox humorum ῥεῦμα, tandem inflammatio ſequeretur: οὐδὲν γὰρ ὀδύνης μᾶλλον αἱμορραγίας τε κινεῖ, καὶ φλεγμονὰς αὐξάνει. Hoc eſt, *Dolore enim nihil magis, & hæmorrhagias mouet, & inflammationes adauget*, ex Galeno. Quia verò natura, ſuppetias vt ferat, ſanguinem ad dolens membrum dimittere ſolet; vt copioſior fluxus retardaretur, Humerum Defenſiuo muniuit, reformato ex Bolo armena, ſanguine draconis, terra ſigillata, cera, ol. roſato, & aceto. Et ne ſanguis in eo colligeretur muſculi cauo, quod tendinem capiebat, vnde putredo ſuperueniſſet, deinde abſceſſus, ol. roſato omphacino totum cubitum deliniuit; oleum quippè roſarum, vt refrigerans partem, & dolorem leuans, ex accidenti exiccat: ſiquidem ablato dolore, & calore partis, non amplius humores confluunt in partem læſam. Die ſequenti, remoto primo apparatu, os & tendines ſecundi internodij è carne eminebant: quibus filamenta ſicca appoſuit, donec quoquo pacto reſiccata, ſub repullulante carne laterent. Carnem circunjectam morſu contuſam, ad ſuppurationem ſtuduit perducere, monitu Hippocratis, ἥτις ἐθλάσθη καὶ ἐκόπη σάρξ, ταύτην δὲ ἐκπυέειν, ὅπως διάπυος ὡς τάχιστα. Id eſt, *Quæcunque caro colliſa fuerit, & diſrupta, procurandum quam citiſſimè ſuppuret.* Hanc indicationem compleuit Digeſtiuo non Communi, quod ſupra modum emollit, ſed Roſato, quod paratur ex terebinthina, aq. roſar. lota, ol. roſaceo, & cera virginea. Superiniecit Digeſtiuo Emplaſtrum ex Linimẽto ſimplici, cuius expertus eſt vſus in retrudendis humoribus, & inflamma-

L. 5. m. med.

L. de vlceribus.

tionibus arcendis : reformatur ex Vng. de ſolano, infrigidante Galeni, & de cerusſa camphorato.

Eodem die, ſecundo videlicet, ad auerſionem ex oppoſiti lateris baſilica ſanguis miſſus eſt ad libram circiter. Nam Auicennæ conſilio, *de melioribus cum quibus intendimus in vulneribus eſt, vt prohibeamus eorum apoſtemationem.* Præmiſſa fuit phlebotomiæ inteſtinorũ ablutio, cum decocto malu. Mercurial. Violariæ, Betę, ol. communi, ſaccharo, & ſale. Plurimum enim refert, non tundere venam, ſi morbus patiatur, niſi prius aluus fæcibus repurgata fuerit: ne vitioſi, & impuri ſucci vacuati ſanguinis locum ſubeant. Die tertio blandam exhibuit Potionem, ex Syrupo, & Melle roſatis ſolutiuis, cum Decocto cordiali, id probante Hippocrate, ὑποκάθαρσις γάρ τῆς κάτω κοιλίης ξυμφέρει τοῖς πλείςοισι τῶν ἑλκέων, καὶ ἐν τρώμασι τοῖσιν κεφαλῇ ἐοῦσι, καὶ ἐν κοιλιῄ καὶ ἐν ἄρθροισι. Id eſt, *per aluũ inferiorẽ leuis purgatio, plurimis vlceribus, nec non capitis, ventris, & articulorum vulneribus, vtilis eſt.* Quod & Galen. innuit: χρήζυσι γάρ αὐτῆς (i.e. καθάρσεως) οἱ κάμνοντες, ἐχ ὡς τὸ λυπῦν περίττωμα καθαιρύσης μόνον. ἀλλὰ καὶ ὡς ἀντισπώσης, τὲ καὶ κενύσης. hoc eſt, *ipſa* (nempè purgatione) *indigent ægrotantes, non vt excrementum infeſtans ſolum ipſa expiet, verum vt reuellat, & euacuet.* Defenſiuum, inunctionem, Digeſtiuum ad ſeptimum vſque adhibuit, poſt quem omiſit ol. roſac. omphacinum ad inunctionem, ſuffecit in eius locum ol. roſaceum lumbricatum, vt eo linimento nerui, ad muſculos cubiti perrepentes, quoquopacto recrearentur.

Eod. loco ſupra allego.

L. de vlceribus.

4. *meth. med.*

Poſt digeſtionem, ad mundificationem, & nouæ carnis generationem, in vſum vocauit Vng. de Betonica, cuius Patauij talis proſtat deſcriptio:

℞. fol. beton. matriſylu. ſalu. an. vnc. iij. rad. ariſtoloch. rot. vnc. j. cer. citrin. terebint. Reſ. Pini. ol. commun. an. vnc. viij. gum. elemi vnc. ij. ol. abietin. vnc. iv. vini q. ſ. bulliant ad vini conſumptionem, f. Vnguentum. Impoſito hoc Vnguento, partem contegebat Cerat. Diacalciteos Galeni, quò exiccaret excrementa tenuia, & carnis generationem promoueret. Tandem

vt caro renaſcens cicatrice obduceretur, in vſum vocauit Vng. de Tutia Nic. ſuperiniiciendo Ceratum Diapalma. Circà vigeſimum caro liberalius luxurians, inducendæ cicatrici erat impedimento: ideoque immiſcuit Vng. de Tutia, tertiam Vng. Iſidis portionem, Vng. enim Iſidis, corroſiua, qua pollet, facultate carnem depaſcitur.

Victus tenuis vſque ad quartum, & decimum inſtitutus, ouis ſorbilibus, & panatellis, intermiſſo carnium eſu, vinique potu, cuius loco aqua hordei propinata.

Quibus conualuit laborans tam feliciter, vt toto curationis decurſu, ab ijs, quæ vulneribus ingruere ſolent, Symptomatis, liber euaſerit, Febris expers: imo ne ἀταξία in pulſu fuerit percepta. Obſeruationis autem Hiſtoriam, ad maiorem euidentiam, ſequenti Schemate ad viuum exprimere libuit.

44608 S



A· Facies Superior.

B· Facies inferior.

γ· Tertium internodium.

δ. Principium Secundi internodij.

ε. Secundi internodij oſsicula fracta.

ζ. Os Seſamoideum.

y. Inſertio tendinis in tertium internodium.

θ. Tendinis longitudo duodecim digitorum.

I. Tendinis latitudo.

K. Finis ipsius tendinis, quà e ventre ſui Muſculi evulſus eſt.

Patauij apud Mattheũ Cadorinũ

£60-